EXPLICIT LIBER SEPTIMUS INCIPIT LIBER OCTAUUS ;

Sextus et septimus superiores libri allegoriam quinti uoluminis
continent. quem olim historica explanatione dictaui. praesens opus
id est octauus liber ad coeptam interpretationem reuertitur. ut et histo
riam et tropologiam iuxta utramque aeditionem pariter disserat
quae si longa tibi uidebuntur O uirgo Christi eustochium non mihi inputes
sed scripturae sanctae difficultati praecipuae que esaiae prophetae qui tan
tis obscuritatibus inuolutus est ut prae magnitudine rei breuem explanati
onem putem quae per se longa est. Certe nos studiosis scribimus et eam scrip
turam scire cupientibus non fastidiosis et ad singula nausiantibus. qui si
flumen eloquentiae et concinnas declamationes desiderant. legant tulli
um quintilianum gallionem gabinianum ~~cyprianum~~ et ut ad nostros
ueniam. tertullianum cyprianum minutium arnobium lactantium hilarium.
nobis propositum est esaiam per nos intellegi. et nequaquam sub esaiae occasi
lx· one nostra uerba laudari. Ecce dominus dissipabit terram et nudabit eam
et adfliget faciem eius et disperget habitatores eius et erit sicut populus
sic sacerdos. et sicut seruus sic dominus eius. et sicut ancilla sic domina eius.
Sicut emens sic ille qui uendit. sicut fenerator sic is qui mutuum accipit
sicut qui repetit sic qui debet. dissipatione dissipabitur terra. et direptione
praedabitur. dominus enim locutus est hoc uerbum. Post specialem singularum
gentium correptionem. iudaeae. babylonis philistiim. moab. damasci. et
aegypti. deserti maris. idumeae. et arabiae. uallis uisionis. et ad extremum
tyri. In quarum explanatione quae potuimus diximus. Nunc quid totus
orbis in consummatione passurus sit propheticus sermo describit. et ne
quaquam de singulis gentibus sed de cunctis pariter prophetatur.
et primum quidem quae impii tormenta passuri sint. et quomodo iuxta euange
lium et apostolum praetereat caelum et terra et figura mundi istius. et deducantur peccato
res in infernum. De quibus scriptum est. Ingredientur ad extrema terrae. traden
tur in manibus gladii. pariter uiui perierunt. deinde quia pro qualitate meritorum
multae sunt mansiones apud patrem dicit. Quomodo sancti rapiantur in nubibus obuiam
domino et semper cum eo futuri sint. Pro dissipata terra LXX corruptum orbem interpretati sunt
et pro adflicta facie illius id est terrae idem transtulerunt. et reuelauit faciem ei
et procedant mortui de sepulchris suis. siue nudabit eam ut omnia opera ~~opera~~
eius proferant in publicum. et dispergant habitatores eius in diuersa loca pro meritis
suppliciis destinati. Tunc nulla erit diuersitas inter nobilem et ignobilem
sacerdotem et laicum. Seruum et dominum. Ancillam et dominam. Diuitem
et pauperem. feneratorem et eum qui aere alieno premitur, ementem atque uendentem

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc455/0222